





DE  
PRAESUMTIONE  
CONTRA VSVM GERADAE  
APVD IGNOBILES IN LVSATIA  
INFERIORE  
DISPUTATIO

---

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
P R A E S I D E

GEORGIO STEPHANO WIESANDIO

PHILOSOPH. ET IVRISPRVD. DOCTOR. SVPREM. CVR.  
LIPS. ADVOCAT. SOCIETAT. DVISBVRG. LITTERAR.  
ET IENENS. LATIN. SODAL.

DIE XIX. APRIL. A. S. R. CICICCLXIII.

H. L. Q. S.

A DISSENSIONIBVS VINDICABIT

A V C T O R

CHRISTIAN. FRIDERIC. SIGESM. HEINSIVS

SORAVIA - LVSATVS.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



L.V. 75.3.



## §. I.

### *Instituti ratio.*

Inter tot tantaque iuris controv ersi argumenta, quorum tractatio non grata minus, quam commoda est, nullum mihi videtur propter sententiarum varietatem disquisitione dignius, nullum propter morum antiquorum interpretationem iucundius, nullum denique propter usus quotidiani demonstrationem utilius, quam quod de gerada illiusque diuersis speciebus agit. Quoniam autem hocce argumentum tam copiosum tamque ambiguum est, ut in libello, qui in academiis ad disceptandum proponi solet, totum et ab omnibus dubitationibus vindicatum commode absolu vix possit; singularibus scriptis singula huius caussae capita tractanda, vniuersum vero complexum laboriosae industriae virorum doctissimorum relinquendum esse existimo Cum vero apud me constituerim publicam vitae ac temporis, quod in academia transfigi, rationem



tionem reddere, mihique prae aliis argumentum *de gerada, quatenus in Lusatia inferiore usitata est*, placuerit, non dubito, quin praestantissima exempla imitando veniam impetraturus sim, cum tale potissimum ad elaborandum sumam argumentum, quale et usus vitae quotidiana commendat, et patria consuetudo demonstrat. Num fecerim proposito satis, alii iudicent. Ego vero intelligo, tantum abesse, ut rem pro dignitate doce satis trahauerim, ut potius ipse profitear, me eam nec eleganter, nec copiose satis proposuisse. Verum non ad scribendum accessi, ut ingenium ostentarem, vel doctrinam probarem, quam tenuem esse ingenue declaro, sed ut meum qualemque studium ostenderem. Facilem igitur veniam me consecuturum esse spero ab iis, quos humanissimis precibus oratos cupio, ut non ad meas facultates nimis exigucas, quam potius ad voluntatem meam beneuole respiciant. Evidem prospicio, fore permultos, qui hanc caussam neque legitimam, neque idoneam iudicent. Sed ego cum patre venerando voluntatem meam communicaui, qui beneuole modestis precibus annuit, mihique, qui periculum facere volebam, permisit, ut scriberem libellum, qui et mores patrios aliquantulum illustraret, et meum iuris patrii amorem testaretur. Non igitur intermittere possum, quin hac publica occasione utar, optimis parentibus gratum declarandi animum, quem ipsorum, dum viuam, erga me amori debeo, quorum liberalis cura me puerum fidissimis praceptoribus tradidit, adolescentem in florentissimas omnium artium officinas alegauit, omnibusque praesidiis, quae ad bene beateque viendum pertinent, lubenter instruxit. His igitur cum pro tantis beneficiis gratiam referre nullo pacto possum, tamen verbis in praesenti ago, animo vero

vero semper habebo. In primis autem Excellentissimo atque iurium Consultissimo Praefidi meo gratias habeo maximas, quod tanta benevolentia, quanta in rogando mea fuit obseruantia, caussam in se suscepere ita defendendam. Noui quidem, eum difficile agere negotium. Sed doctrina, qua pollet maxima, supplebit id, quod ingenii mei tenuitati deest. Quare lectores rogo, ut tamquam aequi censores rem diiudicent. Quodsi consecutus fuero, vberimum mei laboris fructum mihi percipisse videbor.

## §. II.

### *Origo geradae.*

Cogitanti mihi de gerada inter ignobiles in Lusatia inferiore exsule, nonnulla praefari, in primis vero in id, quod caussam geradae dedit, breuiter inquirere, videtur omnino esse necessarium. Ipsam vocis originem non multum curo. Quid quaeso ad rem meam faciet, si vel SCHMUCKIO geradam a vocula Germanica *Geraethe* deducenti adsentiar, vel sequar CARPOZIVM, propter paritatem et aequalitatem geradam nomen accepisse dicentem, vel defendam BARTHIVM, eam a rota *Rade*, quia plurimae res ad geradam pertinentes tunc temporis ex lino rota texto fuerint confectae, originem traxisse adfirmantem, vel aliorum placita accipiam, vel denique ipse nouam vocis deriuationem excogitem? Hoc iis relinquo, qui de gerada studiosius scribere verborumque origines diligentius inuestigare cupiunt. Mihi enim ad occasionem geradae introducenda potissimum spectandum esse, ex eo, quod explicare mihi proposui argumento, liquido appetet. Ego itaque paupertatem filiarum apud veteres Germanos fuisse primam geradae inueniendae

niendae caussam existimo. Nam cum ex moribus, tum  
 ex legibus omnium fere antiquae Germaniae populorum  
 hoc constat, quod filiae a filiis ab hereditate parentum  
 initio exclusae, postea vero tantum iis defientibus sur-  
 rogatae et ad hereditatem admissae fuerint. Videatur  
 prae aliis Illustr. GEORG. CHRISTIAN GERAVER in  
 progr. de iur. succession. ap. veter. German. p. 48. Prae-  
 dia omnesque res immobiles concedebantur solum mascu-  
 lis, quo facilius sumtus militares tolerare possent; res  
 vero mobiles, vti solis necessitatibus inferuiebant, ita pa-  
 rum pretiosae habebantur. L. Sal. T. 62. §. I. Capitular.  
 reg. Franc. ex recens. Baluzii T. 2. p. 412. Illustr. 10.  
 CAROL. HENR. DREYER in d. de inaequali masculor.  
 et feminar. secundum iura Cimbrica successione §. 6. Ita  
 etiam ius Saxonum, quod ideo prae ceteris nominare  
 libet, quia nunc agitur de consuetudine quadam in pri-  
 mis apud Saxones recepta, L. I. art. 17: *Vaters und  
 Mutter, Schweste oder Bruders Erbe nimpt der Sohn  
 und nicht die Tochter, es sey dann, dass da kein Sohn  
 sey, so nimpts die Tochter.* Id quod paupertatem fili-  
 arum dilucide demonstrat. Et verum esse, quod filiae  
 nihil proprii habuerint, testatur antiquissimus locus apud  
 TACITVM de mor. Germ. Cap. XVIII: *Dotem non vxor  
 marito, sed vxori maritus offert.* Haud equidem ignoro,  
 a nonnullis iisdemque elegantioribus iurium vindicibus  
 sub hac *dotis* voce intelligi id, quod temporibus subsecu-  
 tis dicitur *dotalitium*, quod scilicet vxori maritus desti-  
 nauerat, quo vitam honestam post eius obitum duceret.  
 Sed tantum abest, vt haec sententia meae opinioni aduer-  
 setur, vt eam inde potius confirmari credam. Est enim  
 certum, filias fuisse admodum pauperes, cum quidem  
 nubentibus dotalitium fuerit constitutum, ipsae vero nul-  
 lam

iam dotem, vel exiguum saltim sponso attulerint. Mea  
 igitur sententia egenis vxoribus a maritis dotis loco ideo erat  
 aliquid offerendum, ut aliquando tamquam viduae honeste  
 viuere possent. Puellarum et vxorum longe melior erat  
 conditio. Illae adhuc virgines a parentibus vel proximis  
 agnatis alebantur, hae vero a marito sustentabantur. Non  
 possumus non hoc loco iterum commendare cultissimum  
*programma*, quod *Illustr. GEBÄVERVS ad Tacit. de  
mor. German. c. 18.* illustrandum edidit. p. 14 seqq. ubi fe-  
 minas a successione exclusas fuisse, copiosius probat. Ita-  
 que non antiquis, sed insequentibus temporibus pars he-  
 reditatis filiabus data est. Quoniam enim filias sine pa-  
 trimonio relinqui iniquum habebatur, abrogata est anti-  
 qua consuetudo. Vnde in *L. Angriorum et Werinorum  
Tit. VI.* sanctum legimus: *filias frui debere spoliis colli,  
id est, muraenis, muscis, monilibus, inauribus, vestibus,  
armillis, vel quidquid mater ornamenti proprii videretur  
babuisse.* Hac ratione subuenire filiarum paupertati vo-  
 luerunt veteres, vsu geradae recepto. Nam cum filiae  
 ex hereditate nihil caperent, visum est optimum, ipsis  
 concedere matrum vtensilia. Ita quidem ex hereditate  
 materna aliquid accipiebant; quid autem a patre, qui ni-  
 hil habebat, quod ad ornamentum muliebre faceret? Fi-  
 lii igitur patris iusti erant heredes, qui quidem soli res  
 militares praecipiebant. Vnde coniicio, heergeredam  
 etiam effecisse, ut gerada introduceretur. Omnes enim,  
 qui non plane morum antiquitatis expertes sunt, bene-  
 sciunt, filiis inter reliquam hereditatem praecipue res ad  
 bellum gerendum pertinentes competiisse, cuius rei haud  
 obscura vestigia iam expressit *Tacitus c. 32.* Heergereda  
 igitur peculium habebatur filiorum legitimum. *Ius Prov.  
Sax. L. I. art. 27.* Ne vero filiae inaequali hereditatis  
 distri-

distributione nimis laederentur, aliud peculium inuentum est, quod earum esset proprium eo quidem pacto, ne umquam ad masculos perueniret. Quid enim ad naturam rei aptius, quam a peculio filiorum constitutionem peculii muliebris deriuare?

### §. III.

*Inter nobiles solum geradae usus viguit.*

Sed istud filiarum peculium initio apud nobiles tantum usu receptum fuisse, neque ullum inter ignobiles locum inuenisse, merito adfirmo. Quoniam enim eo tempore, quo nobiles a plebeis discerni coeperunt, ignobiles militiam parum sequebantur, nec pro virtute probata vlla feuda adipiscabantur, factum est, ut ea relinquerent bona, quae etiam filiae possidere potuerint. Quare eas una cum fratribus ad hereditatem pari ratione admis-  
tas fuisse, facile intelligitur. Sed plane alia est res nobili-  
um. Qui enim vitam militarem laudabiliter agentes pro-  
pter virtutem probatam feudis condonabantur, et quo-  
rum facultates in feudis maxime positae erant, ii vix vlla  
habebant bona, quae filiae ex hereditate accipere potui-  
sent. Inter omnes fere constat, feminas ex praexceptis  
iuris feudalis excludi ab omni in feuda successione. Fi-  
liabus igitur nobilium alio modo erat prospiciendum. At  
quomodo eae honestam vitam ducere poterant, quae  
omnibus bonis erant destitutae? Accepimus a locupletif-  
simis scriptoribus, eas nondum desponsatas a successori-  
bus in feuda paterna vel fuisse nutritas, vel caelibes in-  
gressas monasteria, vbi liberaliter alebantur. Filiarum  
enim nobilium paupertatem fuisse caussam non ultimam,  
quae impulit principes Saxonicos ad fundanda tot vir-  
ginum monasteria, opinantur doctissimi antiquitatum  
Saxo-

Saxonicarum magistri. Haec tamen non sufficiebant recipiendis omnibus. Dum igitur cauendum erat, ne filiae sine auxilio manerent, consuetudo inualuit, filiabus ex hereditate matris utensilia adsignandi, vt haberent aliquid, quod ipsis legibus esset definitum, neque a solo fratribus arbitrio penderet. Id autem apud feminas dunt taxat nobili loco ortas locum inuenire poterat, vtpote quae a masculis ab omni successione excludebantur. Quamobrem in *L. Angriorum Tit. VI. §. I.* sanctum legimus: *Si filium non habuit, qui defunctus est, ad filiam pecunia et mancipia, terra vero ad proximum paternae generationis consanguineum pertineat.* Secundum hanc legem igitur filia, deficiente filio, res tantum mobiles capiebat, immobiles ad consanguineos perueniebant. Etsi vero temporibus consecutis filiae vna cum masculis admitti coepерunt, tamen non aequas obtinuerunt partes. Ita secundum iura Cimbrica masculi bessem, feminae trientem acceperunt, id quod variis exemplis docte congestis docuit *Illustr. DREYER* in *dissert. excitata §. 13. seqq.* Accedit, quod ad vnum fere omnes heergeredam apud nobiles tantum in vsu fuisse contendant, id quod, vt aliquos omittamus, praecclare obseruauit *IO. GOTTL. HEINNECCIVS* in *element. iur. German. L. II. §. 278.* Quod si vero ea ipsa occasionem geradae recipienda dederit, vti iam ostendimus, sequitur, vt haec pariter nobilibus tantum cognita fuerit.

### §. IIII.

#### *Auctoritas iuris prouincialis Saxonici.*

Cum sententia eorum, qui geradam inter nobiles tantum usitatam fuisse adfirmant, mihi omni ratione defendenda sit, nitor auctoritate iuris prouincialis Saxonici,

B

quod



quod geradam pertinere ad mulierem militarem declarat.  
 Ita enim legitur *L. I. art. 27*: *Quaelibet mulier militaris  
 utensilia in propinquorem cognatam, quae ei ex femineo  
 genere adhaerebit, relinquet.* Sed quid vox *militaris*  
 aliud, quam nobilis, siquidem prae aliis nobiles eo tempore,  
 quo gerada recepta fuit, militiam in primis equestrem exer-  
 cebant. Non enim homines conditionis seruulis, vel liberti-  
 nae in numerum militum referebantur, cum ingenuos maxi-  
 me deceret, maiorum praestantem gloriam fortiter imitari,  
 laudesque auitas propagare. Ingenuos vero tunc ab ho-  
 diernis nobilibus vix distulisse, iam intelligentissimi iuris  
 patrii interpretes copiose probarunt. **G E O R G . B E Y E R**  
*in delineat. iur. German. L. I. c. 3. §. 2. 10. A D A M*  
*K O P P de insigni different. inter S. R. I. comites et nobiles*  
*immediat. Secl. I. §. 27. A D A M F R I D . G L A F E Y de*  
*vera ministerial. indole. p. 366. seqq.* Ingenui enim dici  
 coeperunt equites, vel milites, atque a bonis suis cognos-  
 mina acceperunt. Legendus est prae aliis de hoc ar-  
 gumento vir patrii iuris longe peritissimus *Celeberr.*  
**C H R I S T . G O T T L . R I C C I V S** *in spicileg. iur. German.*  
*p. 175. seq.* Interim non refragabimur iis, qui non  
 omnes ingenuos militasse existimant, quam quidem sen-  
 tentiam doctissime propugnauit *Celeberr.* **I O . H E N R .**  
**C H R I S T D E S E L C H O W .** *in commentat. de statu inge-*  
*nuor. in Germania. §. 5.* modo nobis concedatur, in iu-  
 re prouinciali Saxonico feminam militarem conditionis  
 esse nobilis. Evidem non ignoro sententiam plurimo-  
 rum historiae iuris interpretum, hanc Latinam speculi Sa-  
 xonici versionem non ab ipso Repkovio, sed a Polono  
 quodam esse factam. Sed hoc contra me non pugnat,  
 quia haec ipsa sententia tempore huius versionis geradam  
 inter nobiles solum fuisse receptam, probat. Cur enim  
 auctor,

quisquis ille sit, mulierem nominavit militarem, nisi tunc geradam nobilibus tantum competere sciuisse? Etsi vero nonnullae versiones Germanicae habent nudum verbum, *ein jeglich Weib*, eae tamen non tantam habent auctoritatem, vt iis vnicē fidendum sit, praesertim cum in veteri versione Germanica, quae exstat in editione Ludoviciana legatur: *In welick Wiff van Ridders Art*, quo nomine tam adcurate, quam honorifice nobiles tantum adpellantur. Cum igitur versio Latina, quacum consentit Germanica e vetusto eodemque bono codice expressa, mulieri militari, id est, nobili diserte geradam tribuat, consequens est, geradam eo tempore, quo illud ius collectum est, tantum inter nobiles receptam fuisse.

### §. V.

*Cur ad ignobiles gerada applicata fuerit.*

At haec geradae sumendae caussa et consuetudo non diu inter nobiles solum viguit, sed ab ignobilibus paullo post vsu recepta fuit. Cum enim illud, quod iam ab Horatio sapienter dictum: *nemo sua sorte contentus*, ad omnes transferri possit, non est, quod mireris, ignobiles etiam apud nostros maiores altiora petiisse, et ad nobiles potissimum sese conformasse, eos bellum pariter secessatos, vitamque periculosa ac molestam otiosae et securae longe antetulisse. Ita enim hominum natura comparata est, vt plerumque aliena cupiant, remota laudent, propinquia vero adspernentur. Quare ignobiles vbiuis voluerunt cum nobilibus comparari eademque priuilegia affectarunt, in primis cum idem vitae genus eligerent. Sed hanc conditionis ac vitae mutationem secuta quoque est iurium et consuetudinum mutatio. Quoniam

B 2

enim

enim status militaris supellectilem militarem exposcebat,  
 heergereda etiam inter ignobiles cognita est. Quis vero  
 credat, feminas tunc a cupiditate res pretiosas habendi  
 abstinuisse, neque eas idem peculum, quod nobiles ia-  
 cabant, desiderasse? Eadem ratione existente, qua ma-  
 sculi nobiles certi peculii participes fiebant, idem quo-  
 que ius ab ignobilibus usurpari coepit. Nobiles femi-  
 nae geradam iure optimo capiebant; ignobiles igitur ex  
 eadem caussa geradam quoque ad se pertinere dicebant.  
 Itaque ex simili ratione eadem consuetudo nata est, ita  
 ut tam ignobilibus, quam nobilibus gerada sine vlla diffi-  
 cultate traderetur. Hinc factum esse videtur, vt glossa-  
 tores speculi Saxonici ad sua potissimum tempora respici-  
 entes atque memores praecepti: *vbi eadem legis ac con-*  
*fuetudinis ratio, ibi eadem est dispositio*, geradam vnicui-  
 que feminae, et nobili, et ignobili attribuerent. Tum  
 etiam prisca morum seueritas deserta iuribusque peregrini-  
 nis valde imminuta est. Non enim iuuenes tam virtutes  
 puellarum, quam potius earum diuitias quaerere coepe-  
 runt. Quo igitur honestior reperiatur, crescente in  
 dies magis luxuria, nubendi conditio, splendido rerum  
 pretiosarum apparatu filiae erant instruendae, vt hisce  
 escis cupidos iuuenes allicerent, allectos vero caperent,  
 captos retinerent. Vnde exorta est rerum geradi-  
 carum tanta copia, vt ea iam saeculo decimo primo et  
 secundo heergeredae pretium longe superaret. Cum  
 vero pestifera vitae luxuriosae cupiditas omnes tam no-  
 biles quam ignobiles corripuisse, facile profecto appa-  
 ret, cur omnes geradam tanta cura et appetierint, et  
 conseruauerint. Inualuit autem hocce ius in multis pro-  
 uinciis, vt ornatus muliebris ad proximam perueniret  
 cognatam, vti contra militaria instrumenta agnatis solis  
 cede-

cedebant. Itaque non est admirandum, quod ii, qui vetustos codices iuris Saxonici manu descripserunt, lectionem antiquam deferuerint, contraque aliam genio suorum temporum magis accommodatam substituerint. Ex quo vero gerada cum plebeiis feminis communicata est, exorta est ista distinctio, quae duplicem geradae speciem, nobilem scilicet et plebeiam introduxit, quarum prior et antiquitate, et ipsa rerum copia, alteram longe praefstat.

### §. VI.

*Reliquiae geradae inter nobiles tantum receptae.*

Sed mores ac consuetudines nonnullarum Germaniae prouinciarum, in quibus tamen alias multa ex iure Saxonico diiudicari solent, ab usitata heergeredae et geradae distributione quam longissime recedunt, cum vel eas res in totum respuant, vel ad nobiles tantum restrinquent. Ita enim in G O T T F R. A V G V S T. H O F F M A N N I collectione statutor. local. ad hanc rem pertinentium, quam eo lubentius laudo, quo maiore cura confecta est, consignatum inuenitur in P. II. p. 169. et 675. geradam pariter atque heergeredam in terris Gothanis et Isenacensis non ab ignobilibus, attamen a nobilibus usurpari, id quod ibi testimoniiis magistratum et responsis prudentum confirmatur. Tum in statutis Longosalissanis §. 6. p. 412. relatum legitur, in hac vrbe omnia ac singula apud ignobiles hereditati inferri, neque eorum ulli vel heergeredam, vel geradam dari, quas tamen res inter nobiles usitatas esse, senatus huius vrbis testatur et illustris ordo ICtorum Lipsiensium confirmat. Pari modo Sangerhusae gerada eique sociata heergereda non inter ignobiles, verum solum inter nobiles usu recepta est. Et ut

B 3

vnum

vnum adhuc addam, quod veram istorum peculiorum rationem demonstrat, sciendum est, in principatibus Schwartzburgicis heergeredam aequa ac geradam inter ignobiles abrogatam quidem esse, ne tamen rei origini et caussis repugnetur, eas inter nobiles adhuc conseruari, id quod ex rescriptis principum apparet. Haec pro instituti ratione sufficient, cum facile plura adferre possem, si locus fineret, et operaे pretium esset. Sed iusto longior fierem, neque tamen aliud confirmarem, quam quod laudata statuta perspicue probant, inueniri scilicet reliquias geradae inter nobiles tantum vſitatae ibi etiam, vbi ius Saxonicum receptum est, neque tamen ideo eam ad ignobiles semper transferri. Quodsi quis id nihil secius admirari perget, is quaeso cogitet, per consuetudines et statuta iuri vulgo recepto saepius derogari. Geradam solis cedere feminis, et ius Saxonicum praecipit, et vno ore omnes doctores tradunt. Quis vero nescit, Lipsiae et alibi eandem inter patrem filiamque diuidi, filia vero deficiente, totam patri attribui? Vide *Excellentiss. Praefidis enchiridion iur. German. sub Gerada §. 3. et 6.*

## §. VII.

*Idem in primis in Lusatia inferiore viget.*

Quo certius est, vestigia geradae apud nobiles tantum vſitatae in aliis etiam iuris Saxonici prouinciis deprehendi, eo clariss fit, nihil esse tam rarum atque alienum, quod in Lusatia inferiore iidem mores obseruentur. Non satis tamen exploratum est, neque ab omnibus dubitationibus vindicatum, vnde origo talis consuetudinis, qualis non a iure recepto pendet, in hac terra sit repetenda. Etsi enim mihi persuadeo, cauſam in eo esse quae-

quaerendam, quod tempore introducti iuris Saxonie  
 magistratus linguam Germanicam vel neglexerint, vel  
 ignorauerint, (qua de causa etiam omnia in iudiciis La-  
 tino sermone proposuerant) atque igitur idioma speculi  
 Saxonici Latinum receperint, indeque geradam feminis  
 tantum militaribus adiudicauerint; lubens tamen ipse  
 profiteor, hanc opinionem non esse adeo certam, ut  
 contra eam nihil possit moneri. Sed inutile prorsus ne-  
 gotium agerem, si obsoleta curiosius scrutarer, cum po-  
 tius sententiam, quam hodiernis Lusatiae inferioris mo-  
 ribus confirmatam habeo, expositurus sim. Itaque ab iis  
 potius, quae nunc vigent, quam quae antiquitus fuerunt,  
 probatio geradae in Lusatia inferiore inter nobiles solum  
 receptae sumenda mihi videtur. Haec vero singularis  
 consuetudo a senatu vrbis Luccauiae his verbis apud  
 HOFFMANNVM supra laudatum P. II. p. 218. declara-  
 tur: *Wir Burgermeister und Rath der fürstlichen saechsi-  
 schen Haupt-Stadt Luccaw im Marggraffthum Nieder-  
 Lausitz attestiren Krafft dieses, dass bey biesiger Stadt  
 und Weichbildt unter den Bürgern die im Sachsen Lande  
 braeuchliche Gerade und Heergeraethe nicht recipiret.*  
 Sed non multo post additur: *Bey denen von Adel ist so-  
 wohl Gerade als Heergeraethe im Gebrauch.* Nonne igi-  
 tur, hac consuetudine in vrbe Marchionatus principe vi-  
 gente, praesumendum esse videtur, eam potius, quam  
 contrariam, in reliquis etiam huius prouinciae ciuitati-  
 bus esse receptam? Id quod idem HOFFMANNVS p. 478.  
 testatur: *Ausser vorhergesetzten Ordnungen (habet enim  
 statutum de successione et hereditatibus Gubeneae finci-  
 tum) ist bey der Stadt Guben weder Gerade noch Heer-  
 gewette üblich, sondern wird alles in gleiches Erbe gege-  
 ben.* Eadem consuetudo ex statuto vrbis Lubbenae p.

478.

478. adposito colligi potest. Porro auctor laudatus p.  
 855. refert, Forstae ac Liberosae geradam et heergere-  
 dam ignorari, ibique omnia ac singula hereditati ercif-  
 cundae inferri. Omnes igitur huius prouinciae vrbes in eo  
 amice conspirant, quod vel geradam plane ignorent, vel  
 nobilibus tantum assignent. Sed quid opus est recensere  
 plura? quae facile possunt colligi, nisi haec satis probarent,  
 nullum in Lusatia inferiore inter ignobiles esse geradae vsum.  
 Neque tamen est silentio praetereundum, in prouinciis  
 Lusatiae vicinis idem ius obseruari. *Ordinatio enim*  
*prouincialis ducatus Olsnensis P. III. a. 8.* expressis ver-  
 bis haec praecipit: *Wann einer vom Herren oder Ritter-*  
*Stande verstürbe, und hinter ihm sein eheliches Weib,*  
*Toechter, Toechter-Toechter, oder ulterioris gradus ab-*  
*steigender lineae verlaest; so gebürt denselben die volle*  
*Gerade.* Qui locus vnice de personis illustribus ac no-  
 bilibus, minime vero de plebeiis accipiendus est.

## §. VIII.

*Gerada Sorauiae inter ignobiles ignoratur.*

Cum ex statutis praecipuarum Lusatiae inferioris ci-  
 uitatum satis constet, geradam nullibi inter ignobiles  
 usurpari, miror profecto, quod HOFFMANNVS id  
 de Sorauia statuat. Quae tamen opinio falsa est, et au-  
 toris professionem in praefatione expressam, quod igno-  
 rauerit nonnullarum vrbiū statuta ac mores, ideoque  
 secundum ius receptum iudicauerit, maxime confirmat.  
 Quod quidem iudicium nunc ad rem nostram potissi-  
 mum pertinere videtur. Certum enim est, Sorauiae  
 geradam apud ignobiles plane exsulare. Ut vero id pla-  
 nius fiat, statutum, quod in hac mea patria viget, cui  
 laetam

laetam fortunam magnaue incrementa sincero pectore  
 appreco, omnino adponendum duco. Sunt autem §.  
 XVIII. verba, quae ad hanc rem faciunt, in hunc mo-  
 dum concepta: *Wann Mann und Weib sich vererben und  
 Kinder zeugen etc. obgleich nachmalen dasselbe Kindlein  
 wieder verstirbet, soll doch alles dasjenige, so sie beyde  
 zusammen gebracht, und in stehender Ehe gewaehret und  
 mit einander erworben, oder an sie gestorben, davon nichts  
 ausgeschlossen seyn soll, das Eheweib auf ihren Ehemann,  
 und hinwieder dergestalt der Mann auf sein Eheweib ver-  
 faellet, und eigenthümlich für allen andern Agnaten oder  
 Blutsfreunden vererbet haben.* Hunc succedendi mo-  
 dum inter coniuges statutum constanter stabiliit, nus-  
 piam vero vllam de geradae vigore dispositionem sanxit.  
 Tantum enim abest, vt eam confirmet, vt agnatos po-  
 tius atque cognatos a capienda hereditate arceat, et con-  
 iugibus solum mutuam successionem more vere Germano-  
 nico concedat. Id quod certe non fuisset statutum, si  
 geradae petendae consuetudo Sorauiae viguisset. Sed  
 videamus succedendi ordinem inter parentes et liberos,  
 qui §. XVIII. perspicue constitutus est: *Stirbt der Va-  
 ter, so soll den Kindern, es seyn Soehne oder Tochter,  
 zugleich zwey Theile aller hinterlassenen Güther, woran  
 das auch sey, oder Nahmen haben moege, folgen und  
 werden, und der Mutter der dritte Theil derselben Ver-  
 lassenschafft bleiben. Stirbt denn die Mutter, so soll der  
 Vater, es seyn Soehne oder Tochter vorhanden, densel-  
 ben zugleich den dritten Theil aller seiner Güther aus-  
 setzen und folgen lassen, und er vor sich zwey Theile der  
 Güther und Verlassenschafft behalten.* Nulla quoque  
 geradae mentio facta est, sed mortuo patre, ad liberos  
 duea partes, ad matrem vero vna perueniunt, neque pars

C

femi-



feminis alias propria detrahitur. Et vicissim defuncta matre, liberi vnam, et pater duas accipiunt, neque filiabus prae filiis singulare quoddam ius competere dicuntur. Porro §. XX. de successione collateralium ita sanctitur: *Bruder und Schwester, so von voller und rechter Geburth seyn, nehmen ihres verstorbenen rechten Bruders oder Schwester hinterlassene Erbschafft vor den halben und Stiegeschwistern mit allem Recht und Billigkeit; wo aber kein rechter Bruder noch Schwester vorhanden, alsdann nehmen das Erbe zugleich alle die, so sich zu des Verstorbenen Erbe gleich und nahe ziehen. Stiegeschwister nehmen das Erbe zu gleichem Theil mit des verstorbenen rechten Bruders Kindern.* Neque hic quidquam de gerada occurrit, sed ubique masculi cum feminis ad aequales hereditatis partes admittuntur. Vnde colligere licet, nullam Sorauiae rationem huius muliebris peculii haberi; id quod tamen ad ignobiles tantum adplicari potest. Nam apud nobiles id, quod ius Saxonum de variis succendi modis disponit, diuturno usu, et olim obseruatum est, et adhuc seruatur.

## §. VIII.

*Contraria argumenta expenduntur.*

Praeuideo autem, futuros esse permultos, qui vim iuris Saxonici in Lusatia inferiore opponant, atque ex eo usum geradae inter omnes cuiuscunque conditionis feminas colligant. Quia enim in plerisque prouinciis, quae iure Saxonico utuntur, gerada valet, eamdem quoque in Lusatia inferiore apud omnes feminas receptam esse existimabunt. Sed velim considerent illud, quod doctores iuris crebrius praecipiunt: *Stadt-Recht bricht Land-*

*Land-Recht*, quo quidem praecepto declarant, statuta et consuetudines iuri communi derogare. Si vero ad exempla respiciunt, quae supra commemorauit, facile inuenient, ea quoque in hac caussa iuri Saxonico aduersari, idque nihilo minus in aliis caussis vigere. Quamuis ergo quispiam ex analogia morum in Lusatia superiore vſitatorum conclusionem ad Lusatiae inferioris consuetudines ducere velit, et quia istic gerada sumitur, eam quoque hic peti posse, argumentetur; aliter tamen iudicabit, si meminerit, Lusatiam quidem inferiorem sub uno clementissimi Principis regimine cum superiore esse coniunctam, alios tamen mores, alia priuilegia, aliam denique regiminis formam habere. Nulla igitur a Lusatia superiore ad inferiorem ducenda est argumentatio, cum vterque Marchionatus singulari iure pro locorum varietate vtatur. Id quod ex eo etiam intelligi potest, quod statuta ciuitatum Lusatiae superioris geradam confirmant, Lusatiae vero inferioris sanctiones de illa nihil proponant, quodque illic res geradicae a reliqua hereditate separentur, hic vero omnia in aequales partes diuidantur, vſu geradae prorsus neglecto. Sed haec quoque consuetudo in Silesia finitima viget, vtpote quae in principatu Crosnensi et Saganensi facit, vt in diuidendis quidem nobilium hereditatibus res geradicae attendantur, numquam vero inter ignobiles obseruentur. Praeterea tanta est iurum in Germania varietas, vt non solum singulae prouinciae, sed singulae fere vrbes propriis regantur iuribus. Nec ideo quidquam auctoritati iuris speculo Saxonico comprehensi decedit, si illud non vna ratione apud omnes obseruari, contendimus. Glorientur igitur aduersarii antiquitate geradae eiusque vſu promiscuo; recenseant multas diligenter regiones ignobilis geradae tutrices;

C 2

con-



conferant inter se Lusatiae superioris inferiorisque mores, parum tamen proficient, cum eos nec antiquitas defendat, nec usus multarum regionum tueatur, nec Lusatorum in moribus consensio id, quod inde eliciunt, probet. Maior est geradae nobilis quam ignobilis antiquitas. Quae vero approbantur apud vicinos, ea non semper a nobis etiam ita tenentur, ut nihil plane discrepemus. Praeter ea meminerint, geradam in rebus odiosis omnino esse habendam, eiusque ideo usum utilitatis publicae gratia restringendum potius esse, quam extendendum. Quem enim fugit illud, quod crebro usurpat: *die Gerade macht vieles ungerade?* Hinc multi non male suasse videntur, ut geradae usus plane tolleretur.

### §. X.

*Praesumendus est non usus geradae inter ignobiles Lusatiae inferioris.*


Iam constat atque expeditum est, multas esse regiones, in quibus quidem res pluriiae ex mente iuris Saxonici, tamquam iustitiae aequitatisque norma decerni solent, multa tamen obtinent diuersa, a maioribus ad posteros fideliter transmissa. Neque hoc admirandum est, cum quaelibet terra suis moribus ac institutis regatur. Inter reliquas vero prouincias, quae praecpta iuris communis interdum deserunt, Lusatia inferior principatum tenere videtur. Nam haec prouincia cum propter administrationis formam, tum propter instituta plane singularia, quibus regnante optimo Principe, patriae patre clementissimo, antiquorumque priuilegiorum tute benevolentissimo, continuo fruitur, ab aliis multum differt. A quibus potissimum, quod supra demonstrauimus

uimus abhorret, si ad geradae rationem paullulum respicias. Liquet enim ex iis, quae statuta ordinant, consuetudo vero adprobat, geradam vel plane ignorari, vel inter ignobiles negligi, et a nobilibus tantum obseruari. Si itaque accidat, vt inter ignobiles lis supra vſu geradae oriatur, equidem puto, sententiam contra eam potius, quam pro ea ferendam esse. Sin vero inter nobiles de geradae valore disceptetur, ipſe eius vſum vindicandum esse arbitror. Cum enim sanctiones ciuitatum successionis ordinem stabilentes, geradam non modo omittant, verum etiam vniuersam hereditatem sine vlo rerum discrimine inter heredes legitimos diuidi iubeant, sequitur, vt vel ex ea cauſa gerada pro re peregrina merito habenda sit. Cum praeterea ipsarum silentium continua geradae neglectae consuetudine confirmetur, magistratum vero testimonia nullum geradae vſum inter ignobiles tradant; in dubio contra eius vſum inter ignobiles, e contrario inter nobiles pro eiusdem vſu in Lusatia inferiore praesumptionem esse faciendam existimo. Quod nostrum iudicium innititur certissimis regulis, ad quas praesumptionum veritas vnicē dirigitur, cum hoc ipsum, quod diuturnus vſus temporum confirmat, vere defendam.

### §. XI.

#### *Effectus huius praesumptionis.*

Quodsi itaque praesumptio contra vſum geradae inter ignobiles militat, sequitur, reum, a quo quis geradam petit, esse absoluendum, eique nullo modo geradae exhibitionem iniungendam. Quoniam enim haec est praesumptio legis, quae actorem contrarium probare iubet, hic neque reus probare debet, quod gerada vigeat



in Lusatia inferiore. Nam pro reo, qui eius usum negat, praesumtio contraria pugnat, nec igitur probat. Liceat nobis hac occasione ad praeceptum satis opportunum, idque non minus verum quam necessarium prouocare, onus scilicet probandi plerumque adfirmanti, non neganti esse imponendum. *L. 2. D. de probat. et praesumtion.* Quodsi id nemo in dubium vocare ausit, sententia nostra facile vincet. Fac enim, actorem poscere geradam propterea, quod iuris recepti hoc ferat ratio, reum vero usum eius, quo se actor tueri cupit, iuris hac in re negare, tunc non est dubium, quin actori incommodum probandi subeundum sit. Iure recepto tunc demum utimur, quando statuta loci, ubi viuimus, plane silent. Si igitur successionis ratio non in ipsis, quibus floret Sorauia, iuribus esset praescripta, tunc esset, quod actor ad iura vulgo probata confugeret. Cum vero haec res tam luculenter in eo, quod supra exposui, statuto exprimatur, non potest non necessitas probandi usum rei clarissimis legibus aduersae, actori imponi. Reus igitur auctoritate legis tutus, et consuetudine communi defensus, nisi actor contrarium monstrauerit, (monstrare vero id haud umquam poterit) supellectilem omnem retinebit, neque geradam separabit, auctore tristem repulsam ferente.

## §. XII.

*Res iudicata contra usum geradae.*

Quisquis itaque ignobilium in Lusatia inferiore geradam petit, is eius obseruantiam utique probare tenetur. Cum igitur ante aliquot annos Sorauiae inter M. focrum et P. generum de gerada disceptaretur, illaque a genero

genero filiae defunctae res geradicis postularet, hic tale petitum cum moribus Lusatiae inferioris, atque cum statuto Sorauensi conuenire negabat. Itaque in iudicium vocatur, et post nonnullas disceptationes per primam prudentum fententiam condemnatur, ut focrui res geradicis ab uxore relicta tradat. Et haec sententia altera vice confirmata, nihilque aliud leuteranti, nisi probatio consuetudinis reseruata est. Qui vero postquam remedio appellationis usus est, hoc ab *Illustri Illustrissimi S. R. I. Comitis a PROMNITZ Cancellaria* decisum obtinuit:

*In Appellation Sachen I. G. P. Appellanten an einen, Actoren Vormunden A. R. M. Appellaten andern Theils, erkennen zur Graeflich Promnitzschen Cantzley Wir verordnete Verweser, Cantzler und Raethe zu Sorau auf gebabten Rath der Rechts - Gelehrten vor Recht: Dass die eingewandte Appellation in ihren Formalien bestaendig und zu gebiebrender Rechtfertigung anhero erwachsen. Materialia anlangend, erscheinet aus denen Acten allenthalben soviel, dass wohl appelliret worden, derowegen es bey dem am 23. Octobr. Anno 1747. eröffneten Urtheil, dass nemlich Appellantes Principal die von seiner verstorbenen Frauen nachgelassne Gerade Stücke Appellatens Principalin, als deren leiblichen Mutter, vermittelst eines zu Recht bestaendigen Inventarii, oder in dessen Ermangelung, einer eydlichen Specification auszuhantworten pflichtig, nicht zu lassen, oder die angezogene Gewohnheit, dass das Fol. in Abschrift befindliche Statutum auch auf die Gerade erstrecket worden, oder dass die Gerade bey der Stadt Sorau gar nicht in Uebung sey, binnen Saechsischer Frist, Klaegern der Gegen Beweiss, auch beyden Theilen die Eydes Delation vorbehaeltlich,*

zu



zu erweisen, nicht schuldig; sondern es ist vor allen Dingen Appellat den Grund der Klage, und so viel ihm daran verneinet, in Saechsischer Frist wie Recht zu erweisen verbunden, darwieder Appellanten der Gegen-Beweis, Eydes Delation, und andre rechtliche Nothdurft billig vorbehalten wird, ferner darauf zu geschehen, was Recht ist. Von Rechtswegen.

### §. XIII.

*Confirmatur per resonsum prudentum.*

Quod quidem decisum ab Illustri scabinorum Lipsiensium ordine his verbis praeclare confirmatum est:  
*Dass dieses Urtheil denen Rechten und Uns zugeschickten Acten gemaes, bekennen Wir Koeniglich Pobln. und Churfürstl. Saechsische Schoeppen zu Leipzig. Ubrkundlich mit unserm Insiegel besiegelt.*

Cui sententiae has annexerunt rationes, quibus in pronunciando nitebantur: *Dieweil es eine Ausnahme in denjenigem Falle leydet, wie fern die gemeinen Rechte angenommen und eingeführet, oder wie weit deren Verbindlichkeit in einem oder den andern Stücke durch eine wiedrige Gewohnheit und Heerkommen geschwaechet und entkraeftet worden, zur Zeit nicht ausgemachet ist, sondern auf weitrer Ausführung beruhet, als in welchem Fall von der gewöhnlichen Ordnung des Processes, nach welchem der Klaeger den ihm verneinten Grund seiner Klage zufoerderst vermittelst geführten Beweises behaupten muss, abzugehen, keine Uhrsache vorhanden, und denn bey gegenwärtiger Sache Klaegerin wegen verlangter Verabfolgung von ihrem Eydam, dessen verstorbnen Ehe-*

Ebeweibes Gerade zwar auf das alte und neue Sachsen-Recht, worinnen ihr Suchen gegründet sey, sich berufet, inzwischen dass zugleich mit diesem auch die Gerade nicht aller Orten, wo jenes eingeführet, weniger überall auf einerley Art ungenommen sey, selbst die Erfahrung bezeuget; worzu wegen der Stadt Sorau, und wie weit allda unter Personen Bürgerlichen Standes die Gerade üblich, annoch kommt, dass Beklagter und Appellant, der von einer Einführung derselben allda nichts wissen will, hierunter aus den bereits gegenwärtig beygebrachten so brieflichen, theils nur bemeldeten, theils anderer benachbar-ten Orte betreffenden Gerichtlichen Urkunden, als Zeugen Aussage nicht vvenig rechtliche Vermuthung für sich bat, vvelche, da sie der Klaegerin und Appellatin Absicht entgegen steht, sie, die die Einführung des Orts der Gerade zu behaupten suchet, und nicht Beklagten, der in der Verneinung sich gründet, und desvvegen so, vvie überhaupt ein Beklagter, der nichts gestehet, und vvier-der den der Gegentheil noch nichts ausgeführt, von ei-nigen Bevveise frey ist, diesen zu übernehmen verbindet: So ist von Uns gesprochner massen billig erkannt.

### §. XIII.

*Alia prudentum sententia, quae idem confirmat.*

Non alio modo hac in re ab Illustribus curiae su-premae, quae Vitebergae est, adsefforibus iudicatum est. Ita enim pronunciarunt. . Alss Dieselben Uns Leute-rungs Schrifft und erfolgte Gesaetze in Sachen A. R. M. Klaegerin an einem, I. G. P. Beklagten andern Theils, samt denen diesfalls auch vorigen ergangenen Acten in  
D zuveyen



zvveyen Voluminibus zugeschicket, und sich des Rechten darüber zu berichten gebethen; Demnach sprechen Wir verordnete Doctores des Koenigl. Polnischen und Churfürstl. Saechsischen Hofgerichts und Schoeppen-Stuhls zu Wittemberg darauf vor Recht: dass es der eingevvandten Leuterung ungeachtet bey dem am 8. Januar. 1749. publicirten Fol. befindlichen Urtheil (haec sententia s. praecedente continetur) billig zu lassen. Von Rechtsvvegen.

His vero rationibus comitoti reum ab onere probandae consuetudinis absoluerunt, et actori probationem contrariam iniunxerunt: Dievveil, ob nach dem Sächsischen Land Rechte, vvorinnen Klaegerin sich gründet, die Gerade auf Weibs-Personen, so nicht von Ritters-Art sind, vererbet vverde, nicht außer allem Zuveifel gesetzt ist; Conf. Spec. Sax. Lib. I. Art. 27. ibi quaelibet mulier militaris; mithin, vvan gleich die von der Klaegerin angezogene Praesumtio pro receptione et obseruancia iuris Saxonici communis eingeraeumet vvird, dennoch dieses, ob bey der Einführung dieses alten Rechts die Gerade auch unter Personen bürgerlichen Standes, deren in diesem Texte nicht gedacht vvird, recipiret vworden, ungewvis bleibt, und auf vveitrer Ausführung berubet, da denn Klaegerin, vvelche solches behauptet, also vvercklich auf eine consuetudinem legi contrariam sich beziehet, nicht aber Beklagter, so sich in negatiua fundiret, auch über dieses die Praesumtio vor sich hat, dass dieser Text des Land-Rechts nur in der Maasse, wie er ausdrücklich lautet, recipiret vworden, den Bevveis führen muss, mehrervwogen, dass nach dem Sorauischen Statuto

tuto alle Güther, davon nichts ausgeschlossen, auf den überlebenden Ehegatten verfaellet vverden sollen; hernaechst die beygebrachten Erbschichtungen, ingleichen die von denen mehresten Städten in dem Marggraffthum Nieder-Lausitz angeschaftet attestata; ferner die Aussage derer Fol. abgehoerten drey Zeugen die Vermuthung, dass in diesem Marggraffthum die Gerade bey bürgerlichen Personen nicht eingeführet, sehr bestaercken, und dass durch diese Erbschichtungen und attestata denen Landes-Gesetzen derogiret vverde, auf keine Weise zu behaupten, da dieses, ob die Gerade in der Maasse, vvie Klaegerin sie verlanget, nehmlich bey Personen bürgerlichen Standes mit dem alten Sachsen Rechte eingeführet sey, annoch streitig ist. So ist, vvie im Urthel enthalten, billig gesprochen.

### §. XV.

#### *Conclusio.*

Haec sunt lector beneuole, quae de geradae in Lusatia inferiore vsu scribere, et quatenus studia nostra permiserrunt, explicare ausi sumus. Iam ipse iudicabis, num expectationi fecerimus satis, cunctaque argumenta dubia remouerimus, an adhuc te haesitantem reliquerimus. Nullus equidem dubito, quin nonnulla reddi potuissent ampliora. Sed hoc negotium perfecerunt ii, qui de gerada studiosius scripserunt. Quis enim ignorat, quae C A R P Z O V I V S, W E R N H E R V S, H O F F M A N N V S, B A R T H I V S, praestantissimus rerum geradicarum interpres, et alii huius iuris peritissimi, de gerada commentati sunt? Ego tantum

D 2

de



de singulari geradae consuetudine quaedam monere studui, quod quidem me ita fecisse spero, vt plane inutile et inane aliquid suscepisse non videar. Vt cunque igitur de meo studio iudicare poteris, hanc tamen sententiam a tua humanitate exspecto, me ad scribendum non accessisse, vt alios doctiores redderem, sed vt ipse fierem doctior. Postremo, vt valeas, meque tibi habeas commendatissimum, hoc vnum adhuc oro.

T A N T V M.



VIRO

V I R O  
 DOCTISSIMO POLITISSIMOQVE  
 CHRISTIAN. FRID. SIGESM.  
 H E I N S I O  
 S. P. D.  
 GEORG. STEPH. WIESAND.

  **C**um legibus sapienter constitutum sit, vt no-  
 stri adolescentes prius, quam ex acade-  
  mia abeunt, studiorum publicas reddant  
 rationes, disceptatione more maiorum rite ha-  
 bita, ego profecto tanto iustioribus Te effero lau-  
 dibus, quanto illustrius exquisitae doctrinae speci-  
 men nunc edere cupis. Iam primum vel ob id

D 3

lau-



laudandus es, quod non paruam velitationem, sed  
 iustum potius proelium animose committas. Dein-  
 de hoc et lubenter et vere testor, huncce libellum a  
 Te ipso studiose esse elaboratum. Quod quidem  
 testimonium eo Tibi erit honorificentius, quo pae-  
 stantiorē iuris patrii scientiam in eo luculenter pro-  
 dis. Res enim obscuras ex reconditis antiquitati-  
 bus multo labore erutas perspicue illustras, vicissitu-  
 dines temporum accurate obseruas, caussas legum  
 docte exquiris, res implicitas scienter explicas,  
 multaque argumenta sollerter reperta paeclare  
 confirmas. Proponis quidem aliqua noua, non  
 tamen studio res admirabiles inueniendi ductus, sed  
 solo veritatis amore, qui ex toto libello satis elucet,  
 honeste commotus. Mirabuntur fortassis nonnulli,  
 quod in loco iuris prouincialis Saxonici *L. I. a. 27.*  
 vulgarem lectionem deseras, aliam vero minus vſi-  
 tatam sequaris. Sed vti ipſe Tuæ sententiae pro-  
 babiles reddidisti rationes, ita ego quoque eidem  
 nouum robur addere et possum, et debeo, cum be-  
 neuolentia Illustris CHRIST. VLRIC. GRVPE-

NII,

NII, viri et dignitate muneris, et meritorum magnitudine, et ipsa denique humanitate longe praestantissimi, me certiorem fecerit, eam lectionem, quam Latina p[re]se fert versio, in pluribus inesse codicibus. Veterem enim interpretem dominum de Buch Repkovium vnicē de femina militari accipere, codices vero varios, Ienensem, Gropianum et Salzwedelensem in versionibus Latinis eamdem sententiam exprimere, vir egregius bona fide testatur, cui pro hoc testimonio beneuole impertito humanissimas ago gratias. Hoc argumentum Tu,  
**DOCTISSIME HEINSI**, et amice arripies, et in Tuos usus utiliter vertes. Nihil enim ego magis opto, quam ut hoc, quod in praesenti edis, industriae eruditionisque documento, Tibi honorem, mihi vero voluptatem compares, cum mea plurimum intersit, eos, qui me duce publice certant, pugnare fortiter copiasque doctrinae suae scienter explicare, explicitas firmis instruere subsidiis, instructas denique defendere viriliter. Deus optimus Te mox ad patrios lares reuersurum gratissimis exor-

net



net praemiis atque omnia cum ex Tua, tum ex mea  
sententia Tibi bene feliciterque euenire iubeat! Con-  
seruet ILLVSTREM PARENTEM de patria Tua  
immortaliter meritum, diutissime saluum fortuna-  
que prospera perpetuo florentem! Tu vero curabis,  
ne vmquam Tuus erga me amor vlla ratione mi-  
nuatur, ego certe Tuam amicitiam semper sancte  
colam. Ita vale. Dedi Lipsiae die xvi. April.

A. S. R. CICICCLXIII.





Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1005294 5